

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris  
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Quid sit detractio? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

nit tamen superbia ad contumeliam , in qua utrum illi qui se superiores estimant , facilis alios contemnunt , & iniurias eis irrogant . Facilius enim irascuntur , vi potè repugantes indignum quicquid contra eorum voluntarem agitur .

**¶ c. 6. in  
prin 10.5** Ad secundum dicendum , quod secundum Philosophum in septimo Ethicorum \* , ira non perficit audit rationem . Et sic iratus patitur rationis deficitum , in quo conuenit cum stultitia . Et propter hoc ex stultitia oritur contumelia , secundum affinitatem , quam habet cum ira .

**ii. 2. c. 4.  
de clinan  
do ad fi.  
10.6.** Ad tertium dicendum , quod secundum Philosophum in 2. Rhet. \* iratus intendit manifestam offensam , quod non curat odiens . Et ideo contumelia , que importat manifestam iniuriam , magis pertinet ad iram , quam ad odium .

## QVÆST. LXXXIII.

*De detractione , in quatuor articulos divisa .*

**P** Ostea considerandum est de detractione .  
**¶** Et circa hoc queruntur quatuor .  
**¶** Primo , quid sit detracatio .  
**¶** Secundo , vtrum sit peccatum mortale ?  
**¶** Tertio , de comparatione eius ad alia peccata .  
**¶** Quarto , vtrum peccet aliquis audiendo detractionem ?

## ARTIC. I.

**¶ 401** *Vtrum detracatio conuenienter diffiniatur , quod est denigratio alienæ famæ per verba ?*  
**Inf. q. 74** **A**d primum sic proceditur . Videatur , quod de-  
**a. 1. et q.** tractio non sit denigratio alienæ famæ per  
**75 ar. 1.** occulta verba , vt à quibusdam diffiniatur . Occul-  
**co. Et Ro.** tum enim & manifestum sunt circumstantiae non  
**1. le. 7. co.** constituentes speciem peccati . Accidit enim pecca-  
**4.** to , quod à multis sciatur , vel à paucis . Sed illud  
 quod non constituit speciem peccati , non pertinet  
 ad rationem ipsius , nec debet poni in eius diffinitione . Ergo ad rationem detractionis non pertinet ,  
 quod fiat per occulta verba .

**¶ 2. Pre-**

¶ 2 Præterea, Ad rationem famæ pertinet publica notitia. Si ergo per detractionem denigretur fama alicuius, non poterit hoc fieri per verba occulta, sed per verba in manifesto dicta.

¶ 3 Præterea, Ille detrahit, qui aliquid subtrahit, vel diminuit de eo quod est. Sed quandoque denigratur fama alicuius ius, etiam si nihil subtrahatur de veritate: puta cum aliquis vera crimina alicuius pandit. Ergo non omnis denigratio famæ, est detrac<sup>tio</sup>.

SED contra est, quod dicitur Ecclesiast. 10. Si mordet serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Ergo occulte mordere famam alicuius, est detrahere.

R E S P O N D E O dicendum, quod sicut factum aliquis nocet alteri duplicitate, manifestè quidem, sicut in rapina, vel quacumque violentia illata; occultè autem, sicut in furto & dolosa percussione, ita etiam verbo aliquis duplicitate aliquem laedit. Vno modo in manifesto: & hoc sit per contumeliam, ut supra dictum est\*. Alio modo occulte: & hoc sit per detractionem. Ex hoc autem, quod aliquis manifestè verba contra alium profert, videtur cum parvupendere: unde ex hoc ipso dehonoratur. Et ideo contumelia detrimentum assert honori eius, in quem profertur. Sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur cum vereri magis quam parvupendere. Unde non directè infert detrimentum honoris, sed famæ, in quantum huiusmodi verba occulte proferens, quantum in ipso est, eos qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur. Hoc enim intendere videtur, & ad hoc conatur detrahens, ut eius verbis credatur. Unde patet quod detrac<sup>tio</sup> differt à contumelia duplicitate. Vno modo quantum ad modum proponendi verba: quia scilicet contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur, detractor autem occulte. Alio modo quancum ad finem inten<sup>tum</sup>,

N 4 sive

\* q. præs.  
ar. 1.

siue quantum ad nocumentum illatum: quia scilicet contumeliosus derogat honori, detractor fæma.

Ad primum ergo dicendum, quod in inuoluntarijs commutationibus, ad quas reducuntur omnia nocimenta proximo illata verbo vel facto, diuersificant rationem peccati, occultum & manifestum: quia alia est ratio inuoluntarij per violentiam, & per ignorantiam, ut supra dictum est\*.

*q. 66. a. 4.*

*c. 1. 2.*

*q. 6. a. 5.*

*v. 8.*

Ad secundum dicendum, quod verba detractionis dicuntur occulta non simpliciter, sed per comparationem ad eum de quo dicuntur: quia eo absente & ignorante dicuntur. Sed contumeliosus in faciem contra hominem loquitur. Vnde si aliquis de alio male loquatur coram multis eo absente, detractione est: si autem eo solo presente, contumelia est: quamuis etiam si vni soli aliquis de absente malum dicat, corruptit famam eius non in toto, sed in parte.

Ad tertium dicendum, quod aliquis dicitur detractione, non quia diminuat de veritate, sed quia diminuit famam eius. Quod quidem sit, quandoque directe, quandoque indirecte. Directe quidem quadrupliciter. Vno modo, quando falsum imponit alteri: secundo, quando peccatum adauget suis verbis: tertio, quando occultu revelat: quarto, quando id quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirecte autem, vel negando bonum alterius, vel malitiose retingendo, vel minuendo.

### ARTIC. II.

*Vtrum detractione sit peccatum mortale?*

A D secundum sic proceditur. Videtur, quod detractione non sit peccatum mortale. Nullus enim actus virtutis est peccatum mortale. Sed revelare peccatum occultum, quod sicut dictum est\*, ad detractionem pertinet, est actus virtutis vel charitatis, dum aliquis fratris peccatum denuntiat, cuius emendationem intendens; vel etiam est actus iusti-

402

*.Loc. sup.*

*art. 1. in-*

*duttis.*

*ar. præc.*

*ut 3.*

*cap. non*

*sunt au-*

*diendi 6.*

*q. 3.*